Handschrift

Seite 184r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8391
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dicitur capta vulpis pusilla / que
demoliebatur vineam / Denique dici-
hominem in sermone capi sic habes
in ewangelio quia convenerunt pharisei
invicem ut caperent Ihesum in sermone
Ita ergo sponsus capi iubet vul-
pes pusillas que demoliuntur vine-
as / id est deprehendi convincique pro-
di / Solum hoc malignitatis genus
id precium habet ut cognitum iam
minime noceat / ita ut cognosci sit
illi expugnari / Quis enim nisi
demens comperta decipula sciens
et prudens pedem mittat in illa /
Sufficit proinde si capiantur que
eiusmodi sunt hoc est si prodantur et
deducantur ad medium quippe quibus
apparere perire est / Non sic cetera vi-
tia Nempe manifesta veniunt
manifeste nocent / scientes capti-
vant superant reluctantes / ut-
pote vi non dolo attentata / Ergo
contra huiusmodi aperte sevien-
tes bestias non investigatore opus
est sed refrenatore / Solas has
vulpes parvulas dissimulatrices
maximas quia prodite iam non
nocent sufficit educi in lucem et
capi in calliditate sua Nam fo-
veas habent / Tales itaque ex consilio
vulpes iste et capi iubent et par-
vule destruunt / vel ideo parvu-
le ut nascentia vitia in ipso ortu
donec utique parvula sunt vigilan-
ter observans illico comprehendas /

ne crescentia plus noceant et dif-
ficilius capiantur / Et si iuxta al- b.
legoriam ecclesias vineas / vulpes
hereses vel potius hereticos ipsos
intelligamus simplex est sensus
ut heretici capiantur potius quam
effugentur / Capiantur dico non ar-
mis sed argumentis quibus re-
fellantur errores eorum / ipsi vero
si potest reconcilientur catholice revo-
centur ad fidem Christi / Hec est enim
voluntas eius qui vult omnes homines
salvos fieri et ad agnitionem ve-
ritatis venire / Hoc denique velle
se perhibet qui non simpliciter capi-
te vulpes sed capite inquit nobis
vulpes parvulas / Sibi ergo et
sponse sue id est ecclesie catholice
iubet acquiri has vulpes cum ait
capite eas nobis / Itaque homo de ec-
clesia exercitatus et doctus / si cum
heretico homine disputare aggreditur
ille intentionem suam dirigere debet
quatenus ita errantem convincat ut con-
vertat cogitans illud apostoli Iacobi
quia qui converti fecerit peccatorem
ab errore vie sue salvabit animam
eius a morte et operit multitu-
dinem peccatorum / Quod si reverti no-
luerit nec convictus / post primam
iam et secundam admonitionem utpote
qui omnino subversus est exit secundum
apostolum devitandus / Ex hoc iam me-
lius ut quidem ego arbitror effu-
gatur aut etiam relegatur /